



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

**Parisiis, 1644**

Concilium Arelatense.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14887**

Lib. 1. hist.  
Franc. c. 34.

Quo tem-  
pore.

Mamerto conuocati pene omnes conuenerunt: ubi & ipsi beatum Remigium, utpote diuinis eloquiis eruditissimum & prestantioris gratia priuilegio facundissimum, venire petierunt. At vir sanctus, semo grauis, cum corporis imbecillitate detineretur, beatum ille Vedastum vicaria sollicitudinis cooperarium direxit. In ea namque urbe, ut beatus Gregorius Turo-nensis urbis episcopus scribit in gestis Francorum, tunc temporis inaudita ciues prodigia terruerant. Hinc enim motu terra maximo, multarum ecclesiarum subita euersione, & ruentium palatiorum concussione, grauis animis deiectio incubuerat, instantibus prodigijs mundi terminum & extremum iudicii diem superuenturum spectantibus. Porro ibi bestie multe oberrantes, lupi, vrsi ac cerui ingressi per portam ciuitatis, homines plurimos deuorantes, hoc per totum annum faciebant. Superuenienti solenni die pascha, sanctus Mamertus eiusdem urbis episcopus cum in ipsa vigilia sacrum mysterium celebraret, palatium quoque regale, quod editore urbis loco eminebat, diuino igne succensum est. Hanc diuina indignationis animaduersionem ex offensa hominum accidisse aduertentes episcopi, communi consilio decreuerunt seruari ieiunium, quod triduo ante ascensionem Domini usque nunc per omnes Galliarum ecclesias agitur: sicque ipsa tribulatio atque subuersio quieuit. Hæc chronicon prædicto loco. <sup>b</sup> Circa annum Christi 474. Ado Viennensis in chronico hanc Synodum anno Domini 452. tempore Leonis papæ celebratam, eodemque tempore rogationes triduanas institutas esse scribens, errat: cum sanctus Remigius huius Synodi tempore episcopus extitisse referatur, quem anno 471. qui est annus quartus Simplicii papæ in Rhenensem episcopum ordinatum esse constat. Post annum Christi 475. habitam non esse, arguunt epistola quarta libri quinti, & prima libri septimi, Sidonii Aruernensis episcopi. Anno igitur 474. adscripti hanc Synodum, quam ex ordinatione sancti Remigii episcopi ante 471. & ex epistolis Sidonii, ante 475. celebratam fuisse probauit. De rogationibus vide quæ notauimus ad epistolam vltimam Hilari papæ supra.

ANNO  
CHRISTI  
474.

CONCILIVM ARELATENSE,  
QUOD A LEONTIO ARELATENSI  
episcopo ad condemnandum prædestinationis erro-  
rem congregatum est circa annum Christi CCCCLXXV.  
Simplicii papæ, & Eurici Vefogothorum in Gallia re-  
gis temporibus.

ANNO  
CHRISTI  
475.

Quo consilio coacta fuerit hæc Synodus, & quæ in ea tractata sint, declarant Fausti episcopi Reiensis libri duo de gratia Dei, & humane mentis libero arbitrio, quos ex Synodi Arelaten-sis sensu ac sententia scriptos a se, & a Synodo ipsa subscriptos te-  
fiatur

ANNO  
CHRISTI  
475.

*statum in prologo ad Leontium Arelatensem, qui Synodo præfede-  
rat. Sic enim illum affatur. Domino beatissimo & reuerentif-  
simo Leontio papæ Faustus. Quod pro sollicitudine pasto-  
rali, beate papa Leonti, in condemnando prædestinatio-  
nis errore, Concilium summorum antistitum congrega-  
stis, vniuersis Galliarum ecclesiis præstitistis. Quod vero  
ad ordinanda ea quæ conlatione publica doctissime pro-  
tulistis, operam infirmis humeris, curamque mandastis,  
parum vt reor tanto negotio, parum sanctæ existimationi  
vestræ consuluistis, & me iudicio caritatis, vos periculo  
electionis onerastis. Quia ergo vestram laborare personam  
sub imposito nobis sacce cognoscitis, communem causam  
hoc loco agitis, si ei quem opinioni vestræ imparem cer-  
nitis, manum suffragii porrigatis. Et in fine prologi. In quo  
quidem opusculo, post Arelatensis Concilii subscriptionem,  
nouis erroribus deprehensis, adiici aliqua Synodus  
Lugdunensis exegit. Prædestinationis porro errorem, ad quem  
expugnandum hæc Synodus congregata est, prædestinatorum hære-  
sim illam interpretor, quæ, vt Prosper & Sigebertus in chronicis  
tradunt, Honorii orta principatu, ex libris sancti Augustini male  
intellectis initium sumpsisse ferebatur. Hi de prædestinatione ita dis-  
ferebant, quasi fatalem quamdam necessitatem afferret, quæ bono-  
rum operum studium omne præcideret: quippe qui nec mala opera  
obesse hominibus posse dicerent, si essent prædestinati, nec bona prod-  
esse, si non essent. Cui absurdo quia nonnullis quorundam librorum  
suorum sententiis viam munire, aut vim addere sanctus Augusti-  
nus quorundam in Gallia episcoporum, aliorumque iudicio vide-  
batur, ab illo propterea, cum in ceteris maximi facerent, vebemen-  
ter hac in parte dissidebant. At contra qui pro sancti Augustini pla-  
citis cum Prospero dimicabant, eius aduersarios, quod naturæ hu-  
manæ plus æquo tribuere viderentur, vt Semipelagianos insimu-  
labant. Qua nota in his etiam libris suis Faustus non caruit. Nam  
& a Gelasio papa hoc nomine inter apocryphos relati sunt, & ab  
Auito Viemensi, atque a Fulgentio & aliis pluribus oppugnati.  
Ceterum graui ac diuturnæ contentioni, quæ sanctissimos & do-  
ctissimos vtriusque viros in Gallia centum amplius annos exer-  
cuit, finem postea tandem attulit Synodus Arausiana II. quæ  
totam de gratia & libero arbitrio controuersiam ex sancti Augusti-  
ni sententia composuit.*

Concil. Tom. 9.

Zzz

EPISTOLA  
FAVSTI REIENSIS EPISCOPI  
AD LUCIDVM PRESBYTERVM  
E SECTA PRÆDESTINATORVM,

In qua illi sententias proponit, quas reiicere, quasque amplecti ac profiteri debeat; Synodi Arelatenſis tēpore ſcripta, & a multis epiſcopis atque a Lucido ipſo ſubſcripta.

*Domino deuiniſſimo, & mihi ſpeciali affectu venerando ac ſuſpiciendo fratri, Lucido preſbytero Fauſtus.*

**G**RANDIS caritas eſt, parum cauti fratris errorem per Dei adiutorium & gratiam magis velle curare, quam ſicut ſummi antiſtites meditantur, a bonitate ſuſpendere. Quid poſſum de hoc ſenſu ſicut vis cum vnanimitate tua per literas loqui, cum te præſens multa & blanda & humili conlocutione nunquam potuerim ad viam veritatis atrahere? Loquentes ergo de gratia Dei & obedientia hominis, id omnino ſtatuerere debemus, vt neque proni in ſiniſtram, neque importuni in dexteram, regiam magis gradiamur viam. Illud autem venerationem tuam dixiſſe miratus ſum, quod nullus vnquam ſub religioſa profeſſione contra catholicam fidem vel ſcripſerit, vel prædicauerit: cum plurimi multiplices & profanos errores ſuos etiam ſcriptorum monumentis crediderint inferendos, qui tamen Chriſtiano nomine gloriabantur. Breuiter ergo dicam, quantum cum abſente loqui poſſum, quid ſentire cum catholica eccleſia debeas. id eſt, vt cum gratia Domini operationem baptizati famuli ſemper adiungas, & eum qui prædeſtinationem excluſo labore hominis aſſerit, cum Pelagii dogmate deteſteris.

Anathema ergo illi, qui inter reliquas Pelagii impietates hominem ſine peccato naſci, & per ſolum laborem poſſe ſaluari damnanda præſumptione contenderit; & qui eum ſine gratia Dei liberari poſſe crediderit. Item anathema illi, qui hominem cum fideli confeſſione ſolemniter baptizatum, & aſſerentem catholicam fidem, & poſtmodum per diuerſa huius mundi oblectamenta prolapſum, in Adam & originale peccatum periſſe aſſeruerit. Item anathema illi, qui per Dei præſcientiam in mortem deprimi homi-

ANNO  
CHRISTI  
475.

nem dixerit. Item anathema illi qui dixerit, illum qui periit, non accepisse ut saluus esse posset: id est, de baptizato, vel de illius aetatis pagano, qui credere potuit & noluit. Item anathema illi qui dixerit, quod vas contumeliam non possit assurgere, ut sit vas in honorem. Item anathema illi qui dixerit, quod Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines saluos esse velit.

Cum autem ad nos in Christi nomine veneris, aut cum a sanctis sacerdotibus euocatus fueris, tunc opportune, si Dominus iusserit, locis suis testimonia proferemus, quibus & quae catholica sunt manifestentur, & quae catholicis sunt contraria destruantur.

Nos autem per illuminationem Christi veraciter & confidenter asserimus, & eum qui periit per culpam, saluum esse potuisse per gratiam, si gratiam ipsi famuli laboris obedientiam non negasset: & eum qui per gratiam ad bonae consummationis metas seruitio obsequente peruenit, cadere per desidiam, & perire potuisse per culpam. Nos ergo per medium Christo duce gradientes, post gratiam, sine qua nihil sumus, laborem officiosae seruitutis asserimus. Sed omni modo arrogantiam & praesumptionem laboris excludimus, ut totis viribus desudantes, ne gratia in nobis euacuetur, quidquid de manu Domini susceperimus, donum pronuntiemus esse, non precium: scientes laboris ipsius fructum officii rem esse, non meriti, cum euangelista dicentes: *Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Luc. 17.

Hae quae strictim pro epistola breuitate memorata sunt, aut recipere se, aut respuere vnanimitas tua recurrente sermone respondeat. Ceterum qui hanc veritatis mensuram, gratia praecedente, & conatu assurgente, non sequitur, dignus erit qui a sacris liminibus arceatur. Ego tamen indiuiduam mihi bonitatem tuam toto sinceram benignitatis amplexu in via retinens, in matris ecclesiae gremio permanere repudiato hoc errore desidero. Qui si cito respuatur, ignorantiam fuisse videbitur: blasphemia vero reputabitur, si pertinaciter defendatur. Grauem namque in auctorem rectorquemus inuidiam, si dicamus quod ei possibilitatem capessendam saluti noluerit dare qui periit, ei dumtaxat, qui capere iam possit arbitrii libertatem: cum minime negare possimus, quod mandati prauaricatorem in iudicii sui exa-

minatione damnabit. Qui enim non est obnoxius de suscepto, nescio quo modo eius possit esse de perdito. Ac sic peccantes in Deum, cuius in primis incautius asseruimus gratiam, in postremis eius videbimur impugnare iustitiam. Huius autem epistolæ exemplar mecum retineo, in conuentu sanctorum antistitum, si ita necesse fuerit, proferendum. Quod si eam subscriptam, vt dixi, transmittere nolueris, aperte adhuc te in errore persistere ipso silentio comprobabis: ac proinde iam necessitatem mihi facies ad personam tuam publicis conuentibus exponendam. Et ideo secundum hæc quæ a me sunt directa rescribe, vtrum ea remotis circuitionibus aut agnoscas, aut respuas.

ANNO  
CHRISTI  
475.

SVBSCRIPTIONES.

Auxanius in Christi nomine episcopus, relegi & subscripsi.  
 Faustus exemplar epistolæ meæ relegi & subscripsi.  
 Paulus episcopus in Christi nomine, relegi & subscripsi.  
 Eutropius in nomine Christi episcopus, relegi & subscripsi.  
 Pragmatus in Christi signo episcopus, relegi & subscripsi.  
 Patiens in Christo episcopus, relegi & subscripsi.  
 Euphronius relegi, & admiratus sum plenitudinem sanctam.  
 Megethius episcopus, relegi & subscripsi.  
 Claudius in nomine Christi episcopus, relegi & subscripsi.  
 Leucadius in nomine Christi episcopus, relegi & subscripsi.  
 Iulianus in nomine Christi episcopus, subscripsi.  
 Lucidus presbyter, relegi & subscripsi.

LVCIDI PRESBYTERI  
 ERROREM EMENDANTIS LIBELLVS  
 AD EPISCOPOS,

In quo fidei suæ professionem, iuxta Synodi Arelatensis statuta, & superiorem Fausti epistolam, depromit.

*Domini beatissimis & in Christo reuerentissimis patribus Leontio, Euphronio, Fonteio, Viuentio, Mamerto, Patienti, Veriano, Auxanio, Fausto, Paulo, Megethio, Græco, Eutropio, Leontio, Claudio, Marcello, Croco, Basilio, Claudio, Vrsicino, Prætextato, Pragmatio, Theoplasto, Leocadio, Viuentio, Iuliano, Amicali, Ioanni, Opilioni & Licinio episcopis Lucidus presbyter.*

**C**ORREPTIO vestra salus publica, & sententia vestra medicina est. Vnde & ego summum remedium duco, vt præteritos errores accusando excusem, & salutifera

ANNO  
CHRISTI  
475

confessione me diluam. Proinde iuxta prædicandi recen-  
tia statuta Concilii, damno vobiscum sensum illum, qui  
dicit humanæ obedientiæ laborem diuinæ gratiæ non esse  
iungendum. Qui dicit post primi hominis lapsum ex toto  
arbitrium voluntatis extinctum. Qui dicit quod Christus  
& saluator noster mortem non pro omnium salute susce-  
perit. Qui dicit quod præscientia Dei hominem violenter  
compellat ad mortem, vel quod cum Dei pereant volun-  
tate qui pereunt. Qui dicit quod post acceptum legitime  
baptismum in Adam moriatur quicumque deliquerit.  
Qui dicit alios deputatos ad mortem, alios ad vitam  
prædestinatos. Qui dicit ab Adam vsque ad Christum  
nullos ex gentibus per primam Dei gratiam, id est per le-  
gem naturæ, in aduentum Christi fuisse saluatos, eo quod  
liberum arbitrium in primo parente perdiderint. Qui di-  
cit patriarchas ac prophetas, vel summos quosque san-  
ctorum, etiam ante redemptionis tempora, intra para-  
disum deguisse. Hæc omnia quasi impia, & sacrilegiis re-  
pleta condemno. Ita autem assero gratiam Dei, vt anni-  
sum hominis & conatum gratiæ semper adiungam, & li-  
bertatem voluntatis humanæ non extinctam, sed atte-  
nuatam & infirmatam esse pronuntiem: & periclitari  
eum qui saluus est, & eum qui periit potuisse saluari. Chri-  
stum etiam Deum & saluatorem nostrum, quantum per-  
tinet ad diuitias bonitatis suæ, precium mortis pro omni-  
bus obtulisse: & quia nullum perire velit, qui est saluator  
omnium, maxime fidelium, diues in omnibus qui inuo-  
cant illum. Et quia in tantis rebus conscientiæ satisfaciend-  
um, memini me ante dixisse, quod Christus pro his  
tantum, quos credituros præsciuit, aduenisset, senten-  
tias dominicas sequens, quibus ait sic: *Filius hominis non ve-* Matth. 20.  
*nit ministrari, sed ministrare, & animam suam redemptionem da-*  
*re pro multis.* & illud: *Hic est calix sanguinis mei noui testamen-* Matth. 26.  
*ti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* vel illud  
Apostoli: *Sicut semel statutum est hominibus mori, ita & Chri-* Hebr. 9.  
*stus semel oblatum est ad multorum exhaurienda peccata.* Nunc  
vero sacrorum testimoniorum auctoritate, quæ abunde  
per spatia diuinarum inueniuntur scripturarum, ex senio-  
rum doctrina ratione patefacta, libens fateor Christum  
etiam pro perditis aduenisse, quia eodem nolente perie-

runt. Neque enim fas est circa eos solum qui videntur esse saluati, immensa diuitias bonitatis ac beneficia diuina concludi. Nam si Christum his tantum remedia attulisse dicimus, qui redempti sunt, videbimur absolueri non redemptos, quos pro redemptione contempta constat esse puniendos. Affero etiam, per rationem & ordinem seculorum alios lege gratiæ, alios lege Moyfi, alios lege naturæ, quam Deus in omnium cordibus scripsit, in spe aduentus Christi fuisse saluatos: tamen ex initio mundi ab originali nexu, nisi intercessione sacri sanguinis, non absolutos. Profiteor etiam æternos ignes, & infernales flammæ factis capitalibus præparatas: quia perseverantes humanas culpas merito sequitur diuina sententia, quam iuste incurrunt, qui hæc non toto corde crediderint. Orate pro me, domini sancti & apostolici patres.

Lucidus presbyter hanc epistolam manu propria subscripsi; & quæ in ea adstruuntur affero, & quæ sunt damnata damno.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI  
SOCIETATIS IESV.

\* *Concilium Arelatense.*] Biniana editio postrema Colonienfis Concilium hoc, in quo Faustii & Lucidi epistolæ approbatæ dicuntur, Arelatense illud Concilium vult fuisse, quod a nobis quartum numeratur, & post annos fere quinquaginta Opilione consule celebratum est anno Christi 524. Quod quidem mirum est viro docto persuaderi potuisse. Nam vt omittam, quod exploratum est, Faustum Reiensis ad ea vsque tempora non peruenisse, ex Faustii præfatione, atque ex Lucidi epistola constat, Concilio Arelatensi, de quo agimus, præfuisse Leontium Arelatensem, cum eoque adfuisse inter alios Mamertum Viennensem, & Patientem Lugdunensem: cum Arelatensi IV. præfuerit Cæsarius, tertius a Leontio; & Epaonensi septem ante annis subscripserint Auitus Viennensis, tertius itidem a Mamerto; & Viuentiolus Lugdunensis, quintus a Patiente. Quare longe diuersum, ac multo ante celebratum fuisse hoc Concilium necesse est. Baronius, alique eum secuti, coniiciunt in annum 490. Quod etsi propius abest a vero, fatius tamen in re dubia duximus ad Sidonii ætatem id referre: tum quod Sidonius ad plerisque ex iis scribat, qui huic Concilio adfuerunt: tum quod ita potius sentire oportuerit Baronium, qui Faustii libros de gratia & libero arbitrio, quos Synodi huius auctoritate compositos tradunt, eos ipsos esse contendit, de quibus ad Faustum eundem scribit Sidonius libro 9. epistola 9.



ANNO  
CHRISTI  
475.

<sup>1</sup> Et quia in tantis rebus. ] Totum hoc membrum vsque ad illa verba, constat esse puniendos, quod neque in vulgatis exemplaribus legitur, neque in Puteanorum fratrum manuscripto, quo hic vti sumus, extat in vetusto codice sancti Galli, vt admonuit Henricus Canisius tomo 4. antiquæ lectionis.

CONCILIVM LVGDVNENSE,  
PAVLO POST SYNODVM ARELATENSEM  
supra scriptam, sub Patiente ecclesiæ Lugdunensis  
episcopo celebratum.

**D**e hac Synodo vnicum extat Fausti Reiensis testimonium, quod paulo ante citauimus ex eius epistola ad Leontium episcopum, vbi significat se post Arelatensis Concilii subscriptionem, nouis erroribus deprehensus, aliqua libris suis adiecisse iussu Synodi Lugdunensis. Quid præterea in hoc conuentu actum sit, ignoramus. Nisi forte ad hanc Synodum referri placeat, quod in vetusto codice Conciliorum adnotatum legitur his verbis: De libro ecclesiasticorum dogmatum, quem S. Patiens protulit: vt quemadmodum in Synodo Arelatensi approbati fuerant libri Fausti episcopi Reiensis, sic in Lugdunensi prolatum a Patiente intelligamus, receptumque a Synodo librum de ecclesiasticis dogmatibus, cuius auctor vulgo creditur Gennadius presbyter Massiliensis. Qua de re quia non liquet, haud facile pronuntiarim.

